Die Dominica infra Octauam Natiuitatis B. M. V.

# MISSA
## SANCTISSIMI NOMINIS
# B. MARIÆ VIRGINIS

*Introitus.*

VVltum tuum deprecabúntur omnes díuites plebis: adducéntur Regi vírgines post eam: próximæ eius adducéntur tibi in lætitia, & exultatione.

*Psalm:* Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

Vers: Gloria Patri, &c.

ORATIO.

COncede, quæsumus, omnipotens DEUS, vt fideles tui, qui sub Sanctissimæ Virginis MARIÆ Nomine, & protectione lætántur: eius pia intercessione, à cunctis malis liberentur in terris, & ad gaudia æterna peruenire mereantur in cælis. Per Dominum, &c.

*Et fit commemorat: Dom: occurr:*

*Lectio Libri Sapientiæ.*

EGo quasi vitis fructificáui suauitatem odoris: & flores mei fructus honoris, & honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & fauum. Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccábunt. Qui eluci-

elucidant me, vitam æternam habebunt.

*Graduale.*

BEnedicta, & venerabilis es Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inuenta es Mater Saluatoris.

Vers. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit Orbis, in tua se clausit viscera, factus homo. Alleluia, alleluia.

Vers. Post partum Virgo inuiolata permansisti, Dei Genitrix intercede pro nobis. Alleluia.

*Sequentia Sancti Evangelij secundùm Lucam.*

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria; inuenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius; & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelū: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognosco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superûeniet in te, & virtus Altissimi obumbrábit tibi. Ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filiū in senectute sua; & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur stérilis: quia non erit impossibile apud DEVM omne verbum. Dixit autem Maria. Ecce ancilla Dómini, fiat mihi secundùm

…ium verbum tuum.
Credo.

*Offertorium.*

AVe Maria grátia plena Dóminus tecum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

*Secreta.*

TVa, Dómine, propitiatióne, & Beáte Mariæ semper Virginis intercessione, ad perpetuam, atque præséntem hęc oblátio nobis proficiat prospetatem, & pacem. Per Dóminum, &c.

*Deinde pro Dominica.*

*Præfat, de B. M. V.* Et te in festiuitate, &c.

*Communio.*

BEáta víscera MARIæ Virginis, quæ portauérunt æterni Patris Fílium.

*Post Communio.*

SVmptis, Dómine, salútis nostræ subsidijs: da, quæsumus, Beátæ Mariæ semper Virginis patrocinijs nos vbique próteg[i]; in cuius veneratióne, hæc tuæ obtúlimus Majestáti. Per Dóminum nostrum, &c.

*Deinde de Dominica.*

*In fine Missæ legitur Euangelium Dominicæ.*

---

*Rubrica apponenda in Missali Romano post missam in die Natiuitatis B. Mariæ Virginis.*

DIe Dominica infra Octauam. Missa de Sanctisimo Nomine Beatæ Mariæ Virginis.

---

*…rba apponenda in Kalendario Missalis Romani post diem 8. Natiuitatis B. Mariæ Virginis.*

DIe Dominica infra Octauam, Festum Sanctisimi Nominis Beatæ Mariæ Virginis.

*Cum*

*Cum Sanctiss. D. N. D. Innocentius Papa XI. de consilio Eminentissimorum* DD. *Cardinalium Sac: Rit: Congr: præpositorum habitæ die 20. Nouembris 1683.* præce-*perit, vt festum Nominis Beatiss: Virg. Mariæ, quod iam in plerisq; Ecclesiis die* 17. Se-*ptembris cum Officio, & Missa ex Indulto Apostolico hactenus celebratum est, in* posterum, *in memoriam insignis Victoriæ ab armis Christianis de Turcis reportatæ, &* Ciuitatis *Viennæ in Austria ab arctissima obsidione solutæ, celebrari debeat Dominica infra* Octa-*uam Natiuitat: eiusdem B. Virginis sub ritu duplici maiori quotannis in Ecclesia* Vniuer-*sali ab omnibus vtriusq; sexus Christifidelibus tàm Secularibus, quàm Regularibus,* qui ad *horas Canonicas tenentur, cum Officio proprio, & Missa ab eadem Sac: Congr:* approban-*dis. Eadem Sacra Congregatio habita die 4. Decembris proximè præteriti* suprascriptum *Officium proprium Nominis Beatiss: Virginis Mariæ, ut iacet, diligenter, atq;* accuratè *reuisum, & relatum ab Eminentiss: & Reuerendiss: D. Card: Casanate approbauit;* Et *demum idem Officium sic ut præfertur, publicari, & in Missalibus in futurum* edendis, *cum iisdem rubricis imprimi mandauit. Hac die 5. Februarij 1684.*

N. Card: Ludouisius.

*Locus ✠ Sigilli*

Bernardinus Casalius Sac: Rit: Congr: Secr:

ROMÆ. Ex Typographia Reu: Cameræ Apostolicæ. M DC. LXXXIV.

*Superiorum Permissu.*